

1573

Venetorum
bellici ap-
paratus .
Antonius
Bragadenus
quinquerem-
ium præ-
fectus .

rum memoria renovata, acrioresque ad bellum subditæ faces sunt . Delectus militum tota Italia haberi jussum : conscripta fuere peditum duodecim millia. In Cretam aliaque maritima loca bellici apparatus omnis generis transmissi. Quinque majores triremes armari, quæ undecim summam conficerent, decretum; iis Antonius Bragadenus, Francisci Duodi decumbentis loco, præfectus creatus. Tringenta triremium numero classem augeri latum, quibus maritimarum rerum disciplina clarissimi cives a Senatu gubernatores dati.

Dum hæc geruntur, Ascrivium obsidione urgere Turcæ statuunt. Est ea urbs (ut alibi diximus) in intimo Rhizonici sinus recessu sita, ad Epirum, circumjectasque regiones perdomandas valde opportuna : sæpius vel insidiis, vel vi a Turcis irritò conatu tentata fuerat. Quoniam vero nulla e continenti præsidia suppetebant, quod hostico solo circumdata e mari tantum nostris eo aditus pateret, angustias obsidere, munitionesque in litore erigere, quibus ab ope Ascrivienfibus ferenda prohiberentur, adnixi fuerant; Venetisque obsistentibus, ad exitum opus perducere nequiverant. Verum cum *Ducatus*, ut ajunt, præfectus cum duobus peditum millibus supervenisset, denuo opus aggressi, tribus ab urbe millibus, ad Varbagni promontorium, qua fretum quadraginta passus non amplius patet, munitione excitata, omnem nostris aditum Ascrivio subveniendi intercludere nitebantur. Ejus rei nuntio ad Patres delato, præcipue in ea regione urbis periculo animadverso, statim Senatusconsulto Fuscarenò imperatori mandant, ut erectam munitionem evertere, hostesque loco pellere omni studio contendat. Jacobo Superantio legato negotium Fuscarenus committit. Is, Paulo Ursino, Pompejo Columna, Moreto Calabro rerum militarium peritissimis accitis, cum longis navibus duabus ac viginti, quinquere-mibus sex, in quibus quatuor peditum millia imponit, in itinere Nicolao Suriano, Adriatici præfecto, cum triremibus quatuor sibi adjuncto, ad Rhizonici sinus fauces provehitur. Janizzam delatus, magnam militum manum exscendere jubet. Columna, ut Neocastri propugnatores ab ope iis, qui Varbagni munitionem tuebantur, avertat, editiorem tumulum occupat. Eodem tempore Nicolaus Gambara, Brixienfi illustri familia ortus, ad Zachariam Salomonium, Ascrivii legatum, qui ab

op-

Varbagni
munitione a
Turcis ex-
structa .